

„ tiorum gratiam demereretur ; ausum non fuisse af-
 „ serere , Christum ab iis flagellis cæsum , & cruci suf-
 „ fixum esse . At dum Bruttiorum famæ consulit Scri-
 „ ptor Eminentissimus , haud satis consulit suæ . Eas
 „ enim , ut Bruttios infamiâ liberet , rationes affert ,
 „ quæ minus profecto congruunt , ac etiam contrarium
 „ evincunt . Nimirum , ait ille : Alexandrinos in Ægy-
 „ pto , honoris gratia , non a Bruttiis liçtoribus , sed a
 „ suis popularibus , virgis cædi fuisse solitos , ubi id ju-
 „ diciorum ratio postulare . Addit , ætate Tertulliani ,
 „ non solos Bruttios ferali huic ministerio fuisse desti-
 „ natos , sed cæteros cujusque nationis milites ; ut ex
 „ illius libro *de Corona Militis* liquet . Sit ita porro , ut
 „ Baronius observat ; quid hoc , quæso , ad Christi fla-
 „ gella , atque supplicia , ne & ipse a Bruttiis cæsus di-
 „ catur , & crucifixus ? Cum Christus Alexandrinus
 „ non fuerit , ut eo privilegio fruere . tur , sed Galilæus ;
 „ nec in Ægypto cæsus , & crucifixus sit , sed in Judæa .
 „ Imo , inquit ego , si Alexandrinorum hoc erat privi-
 „ legium , ut non a Bruttiis , sed a suis popularibus ,
 „ cæderentur ; argumento est , cæteros , atque ita Ju-
 „ dæos , a Bruttiis liçtoribus , pro more & usu Roma-
 „ norum , fuisse flagellis cæsos , extremoque supplicio
 „ affectos , ubi esset lata sententia . Fatendum itaque
 „ bona fide , quod res est , semotisque regionum affe-
 „ ctibus , id simpliciter asserendum , quod Scriptorum ,
 „ omni exceptione majorum , testificatione comper-
 „ tum est ; Bruttios Christi tortores , atque carnifices
 „ extitisse . ,

Ex verbis hisce laboris nostri specimen emergit ,
 quod sane Operis analysim exhibebit . Primo loco
 oportet Auctorum , quos pro se Scriptor iste laudat ,
 testimonia perlustrare ; signanter Auli Gellii , qui illo-
 rum